



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

364. De mulieribus quæ cum dæmonibus se dicunt nocturnis horis  
equitare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Ex eodem.*

Rhaban. ibid.  
Burchard. lib.  
16. c. 14.

**C C C L X I .** Mulier si qua filium suum ponit supra tectum aut in fornace in pro sanitate febris , septem annos pœnitentiat. Qui ardere facit grana ubi mortuus est homo pro sanitate viventium & domus , quinque annos pœnitentiat.

De menstruo sanguine. *Rabanus ad Heribaldum.*

Rhaban. ibid.  
Burchard. lib.  
19. c. 152.

**C C C L X I I .** De his etiam super quibus interrogasti , hoc est , de illa femina quæ menstruum sanguinem suum immiscuit cibo vel potui , &c dedit viro suo ut comederet , & de illa quæ semen viri sui in potu babit , & de ea quæ testam hominis combussit igni & viro suo dedit pro infirmitate vitanda , quali pœnitentia sint plectendæ ; ut nobis videtur , tali sententia feriendi sunt sicut magi & arioli , quia magicam artem exercuisse noscuntur.

De eadem re. *Ex Concilio Anquirensi.*

Rhaban. ibid.  
c. 15.  
Burchard. lib.  
17. c. 29.

**C C C L X I I I .** Mulier si cum muliere fornicata fuerit , annos tres pœnitentiat. Sic & illa quæ semen viri sui cibo miscens , ut inde plus ejus accipiat amorem , pœnitentiat.

Unde suprà.

Burchard. lib.  
10. c. 1.

**C C C L X I V .** Ut Episcopi Episcoporumque ministri omnibus viribus elaborare studeant ut perniciosam & à diabolo inven-

tam sortilegam & maleficam artem penitus ex parrœchiis suis eradant, & si aliquem virum aut feminam hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter de honestatum de parrœchiis suis eiciant. Ait enim Apostolus : *Hæreticum post unam & secundam admonitionem de vita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est.* Subversi sunt, & à diabolo capti tenentur, qui, derelicto creatore suo, à diabolo suffragia quærunt. Et ideo à tali peste mundari debet sancta Ecclesia. Illud etiam non omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea & innumera multitidine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in perfidia sua perissent, & non multos secum in infidélitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo, hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deviat; & in errorem paganorum revolvitur, cùm aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum esse arbitratur. Quapropter sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo cum omni instantia prædicare debent ut noverint hæc omnimodis falsa esse, & non à divino sed à maligno spiritu talia phantasmatata mentibus infidelium inrogari. Si quidem ipse Satanus, qui transfigurat se in angelum lucis, cùm mentem cuiuscunque mu-

Vide Capitula  
Herardi Tu-  
ron. c. 3.

lierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem & incredulitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum personarum species atque similitudines, & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modò lata, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit; & cùm solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc, non in animo, sed in corpore, evenire opinatur. Quis enim non in somnis & nocturnis visionibus extra seipsum educitur, & multa videt dormiendo quæ nunquam viserat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes sit qui hæc omnia, quæ in solo spiritu sunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cùm Ezechiel Propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore, viderit; & Johannes Apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu, non in corpore, vidi & audivit, sicut ipse dicit: *Statim fui in spiritu.* Et Paulus non auderet dicere raptum in corpore. Omnibus itaque publicè adnuntiandum est quod qui talia & his similia credit, fidem perdidit, & qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deteriorius immutari aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est.

Apoc. 4.

Tob. 1.